

De morbis quibusdam lienis cognoscendis et curandis : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Franciscus Nicolay.

Contributors

Nicolay, Franz, 1815-
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1837.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tv4tprhd>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

6
D E
MORBIS QUIBUSDAM LIENIS
COGNOSCENDIS ET CU-
RANDIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS NICOLAY

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

F. FALCER, MED. ET CHIR. DR.

H. ZUMNORDE, MED. ET CHIR. DR.

W. NICOLAY, JURIS UTRIVSQUE CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

P A T R I
OPTIMO, DILECTISSIMO
AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quamquam functio lienis adeo est ignota, ut nihil certi de ea inter physiologicos constet, tamen in pathologia et therapia speciali lienis morbi non infimum tenent locum; partim ob pertinaciam et graviditatem, qua insigniuntur, partim ob diagnoseos difficultatem; quam ob rem de hujus organi morbis quibusdam pauca dicere liceat.

AETIOLOGIA.

Raro lienis morbi existunt apud infantes, saepius inveniuntur in juventute et media aetate, in mulieribus crebrius, quam in viris, imprimis si complicationes cum aliis morbis deficiunt.

Magni in procreandis lienis morbis momenti est clima et locus, quo homines morantur; invenimus enim eos maximam partem apud homines in locis humidis, paludosis habitantes, qui aqua ad bibendum inepta, aut cibis aëre humido jam corruptis, aut piscibus, in stagnis viventibus, vescuntur, quippe quibus in locis febres intermittentes endemicae grassentur. Homines, qui inclinato corporis trunco multum sedent, majori excellunt dispositione, quam qui multum sub dio corpus exercent.

Praedispositionem haereditariam ad hos quoque morbos existere, quae causis externis aut augeri aut supprimi possit, nemo diffitebitur. Persaepe etiam lienis morbi sunt secundarii, qui morbos febriles per longum tempus protractos, et praesertim febrim intermittentem quartanam et tertianam duplicatam sequuntur. Magni momenti plethoram abdominalem esse, inter omnes constat scriptores. Iidem ex nimio aut praematureo corticis peruviani usu originem ducere possunt.

Praeterea multa exstant, quae in provocandos lienis morbos plus minus momenti exserunt, de quibus loco idoneo plura disseramus.

Splenitis.

AETIOLOGIA.

Nostris in regionibus hicce morbus raro occurrit, singulatim inflammatio acuta, quippe quam nonnisi cum vicinorum organorum morbis complicatam, aut vulneratione ortam existere, complures contendunt auctores; chronica inflammatio saepius observatur tam primaria quam secundaria.

Invenitur inflammatio lienis nunquam fere aetate puerili, raro aetate senili, creberrime aetate juvenili et virili, quamquam Hallerus in puero quatuor annos nato eam observavit, et Morgagni et Bonnet plura afferunt exempla splenitidis aetate senili exortae; rarius supervenit viris, quam mulieribus, et in his praecipue, si menses cessant, qua de re Sennert dicit: afficiuntur et hypochondria et lien frequentissime ex utero; ac proinde lienosae et hypochondriacae ex utero eae femi-

nae imprimis evadunt aetate jam matura, quibus juvenibus menses non satis copiosi fluebant.

Nonnulli scriptores, in quibus Schoenlein, dispositionem hereditariam existere tradunt, quae vitae ratione augeatur; in hominibus enim, quorum parentes laborarint haemorrhoidibus, et vitam magis sedentariam egerint, vigere dispositionem hereditariam ad inflammationes lienis.

Alii scriptores, in quibus Hildenbrand, solis mechanicis causis exoriri inflammationem lienis acutam putant, ictu aut contusione, aut vulneratione, aut saltando, aut currendo, aut clamando. Negari nequit, causas, quas diximus, inflammationem procreare posse; at saepissime sequitur ruptura lienis et mors subitanea.

Terrarum conditio multum facit ad splenitidem procreandam, in regionibus enim humidis, paludosis jam ab antiquissimis temporibus crebro observata est; ex quinque incolis Carolinae australis duos lienosos esse, Chalmers contendit.

Quodsi respicimus anni tempora, autumnus saepe numero provocat splenitidem, quamobrem jam Hippocrates hunc morbum inter autumnales numeravit. Hac de re Grotanelli dicit: Nullo modo praetermittenda est consideratio; splenitis non est cujusque anni partis, sed autumnalis et hiemalis praesertim, sive frigida sive humida tempestate, vicissitudinibusque aëris oritur facilius, quam cetero temporum decursu. Heusinger lienis morbos tempore autumnali vigere hoc modo exponit: calore aestivo sanguis diluitur, et majorem seri partem continet, quam tempore hiemali. Eodem tempore hepa-

tis et lienis actio multum aucta est, quam ob rem haec intestina externis injuriis facillime afficiuntur.

Vivendi ratio haud parum valet ad procreandam lienitidem; quod ad cibos attinet, leguminosa, tubera solani tuberosi, farinosa, pisces in stagnis viventes, nutrimenta corrupta lienitidi favent. Morgagni, Soemmering et Baades ab usum spirituosorum, imprimis spiritus frumenti, saepe gignere splenitidem, asserunt.

Inter animi pathemata praesertim iracundia et omnia deprimentia procreare possunt inflammationem lienis.

Inter morbos, qui provocant lienitidem, primum certe locum tenet febris intermittens, et inter has febris quartana et tertiana duplicata, praesertim si intermittens endemica grassatur in regionibus vulcanicis, quam ob rem ad ripas Arni flavii usque ad promontorium Circaicum saepissime invenitur.

Abusu corticis peruviani oriri posse lienitidem testantur Grotanelli et Broussais, quorum hic enarrat militem nimio corticis peruviani abusu tantopere affectum esse, ut post tres menses, post varias morbi mutationes, lienitide cum ingenti lienis tumore diem obierit supremum.

Haud raro inflammationes partium vicinarum ad lienem propagantur, quod accidit in pleuritide lateris sinistri, in hepatitide, gastritide, imprimis in peritonitide.

Metastaticam splenitidem ex repressis morbillis observavit Horn; ulceribus pedum diuturnis nimis audacter sanatis, saepius eandem videmus induci.

Quod Reil et Portal commemorant, induratione hepatis et pancreatis exoriri posse lienitidem, quoniam sanguis haec organa intrare nequeat, tum tantum fieri posse

videtur, si perbreui tempore induratio exorta est, alioquin enim arteriae hasce partes adentes sese contraherent, et introitus sanguinis in illas partes paulatim minueretur. In mulieribus nascitur facillime lienitis menstruatione suppressa. Tum enim lien sanguine nimis refertur, exoritur congestio, quae parvo irritamento addito transit in inflammationem.

Aliquid quoque commercii intercedere inter splenitidem et erysipelas, Schoenlein (1) contendit: si pars, inquit, faciei sinistra est affecta, erysipelas magis oedematosum, lividum apparet, aegroti non saporem amarum, sed potius ructum acidum conqueruntur, non doloribus prementibus in regione frontali, sed vertigine et visu obnubilato laborant, et si intumescencia non in regione hypochondriaca dextra, sed sinistra adest, lienitis conjuncta exstat cum erysipelate; denique haemorrhoides, quae fluere non coeperunt, in hominibus, qui vitam agunt sedentariam, et generatim plethora abdominalis, lienitidem efficere possunt, tum enim in liene exoritur status congestivus, qui facillime transit in inflammationem.

Occurrunt duae lienitidis formae, acuta et chronica.

LIENITIS ACUTA.

Symptomata.

Quamquam fuerunt, qui hanc morbi formam existere negarent, tamen inter omnes nostrae aetatis medicos eam inveniri partimque causis externis, partim internis provocatam constat.

(1) Specielle Pathologie und Therapie. I Bd. Seite 418.

Aegrotos subito adgreditur dolor acutus, pungens sub costis spuriis lateris sinistri, qui complures horas eadem, qua coepit vehementia, perdurat, tum aliquantum remittit, nunquam autem plane deserit aegrotum; augetur compressione lateris, motu, respiratione alta. Splenitis superficialis, sive primaria, sive secundaria, facile ad vicinas partes progreditur, excellit dolore acutissimo, magis pungente, ita ut integumenta abdominis in hac regione aliquantum rubescere possint. In splenitide parenchymatosa dolor tenet locum penitioem, adest sensatio gravitatis, functiones hepatis et ventriculi minuuntur, qua de re Heusinger: Magna, inquit, debilitas adest, pulsus frequentissimus, debilis, ita ut vix sentiri possit, locales dolores pauci, intumescencia mollis, propensio ad profluvia, urina nigricans. Augetur dolor, si costas spurias altius reprimere periclitamur.

Si manu aliquantum comprimimus regionem lienalem, dolor saepe minuitur, exoritur sensatio caloris anomali et expansionis in regione hypochondriaca sinistra. At si magis comprimuntur muscoli abdominales et lien, augetur dolor. Aegroti in dorsum decumbunt, aut in latus sinistrum, non in dextrum, quia tunc lien amplificatus comprimit ventriculum.

Regionem lienalem perscrutanti apparet lien velut corpus rotundum, paulo mobile, maxime dolens; dolores progrediuntur ad ventriculum juxta decursum vasorum brevium, et ad humerum, de quibus P. Frank: »Dolor ad humerum, mammam et claviculam fere extensus, nunc acutissimus, nunc obtusus, costarum spuriarum limbum plerumque excedens.«

Compressione organorum vicinorum exoritur singul-

tus, palpitatio cordis, anxietas, lipothymia, tussis, quam situ erecto augeri contendit **Puchelt**. Dyspnoea non semper invenitur, sed praecipue in partis superioris inflammatione, quae sursum diffunditur.

Digestio est turbata, appetitus ciborum nullus, aut bulimus, lingua oblecta muco spisso et multo, alii aliquantum rubescentem, alii non mutatam describunt. **Sitis** augetur, quam **Jungkerus** admodum intensam, **Morgagni** inexstinguibilem, **Cammerlaender** implacabilem, **Frank** et **Marcus** magnam dicunt, et **Heusinger** nullum esse tradit morbum, in quo sitis adeo inexplebilis sit. Sapor oris amarus, saepius acidus est, nausea, imo vomitus, quem deficientem **Heusinger** octies tantum animadvertit. Vomitu non solum contenta ventriculi emittuntur, sed saepissime sanguis spumans, ruber, quod autem non signum pathognomonicum esse, **Marcus** commemorat, adest, vomitus cruentus semper in inflammatione parenchymatosa, in inflammatione superficiali autem haud raro desideratur. Vomitu cruento ipso augetur dolor, tum autem aliquantum minuitur aut remittit. **Alvus** est obstructa, faeces durae, densae, velut combustae, saepius immixtae cruore minus autem nigro et dissoluto, quam in morbo nigro. — **Epistaxin** ex nare sinistra signum magni momenti commemorant auctores. **Nares** et **ares** sunt pallidae et frigidae, menti pars sinistra rubra et calida. — **Urina** semper mutata, subfusca, rarius crocea, emissa mox deponit sedimentum.

Maximi momenti est mutatio caloris aegrotorum, qui imprimis sub finem morbi exoritur. **Cutis** fit flavida, de qua re **Hildenbrand**: „Fuscedine quadam, seu flavi-

tie atriori admixta foedantur; color *μελάγχωλος* Graecorum. Alii scriptores cutim coeruleam, lividam commemorant. Pedes et genua rubent, nares et aures quandoque pallescunt, ut Sennert tradit. — Febris atrox est, primum frigus vehementissimum, tum calor magnus, pulsus plenus, quem Heusinger frequentissimum, durum, plenum, Marcus et Haasbauer in parte sinistra suppressum significant; cutis arida; febris aut remittens, aut vergens ad intermittentem quartanam.

LIENITIS CHRONICA.

Haec morbi forma saepissime observatur, plerumque complicata, si alius lienis morbus jam antea aderat, quare symptomata singularia et pathognomonica afferre, difficillimum est.

Symptomata localia sunt dubia; homines, qui per multos annos hypochondria aut dyspepsia laborabant, queruntur sensationem ingratam praetereuntem in regione hypochondriaca sinistra, quae augetur post coenam. Dolor magis est obtusus, minus rapidus, junctus cum sensatione gravitatis in liene. Johnson, Pleischel, Tulpius pulsationem observabant in hypochondrio sinistro, quae manu imposita sentiri posset, quin etiam Tulpius exemplum commemorat, in quo pulsatio per distantiam triginta pedum audiretur.

Tumor regionis lienalis constans, at magnitudine varius in affectione partis superioris sursum, in affectione partis inferioris deorsum tendit. Est aut durus aut mollis, digito tangenti vel cedens vel renitens.

Hic tumor efficit oppressionem pectoris, anxietatem, si magnam adeptus est amplitudinem, spasticas diaphrag-

matic affectiones, palpitationem cordis, lipothymias, insultus epilepticos infert. **Tulpius** (1) juvenem his insultibus correptum memorat, quoties lienalis regio digito tangeretur.

Functiones lienis laesas magnam efficaciam in totum corpus exserere patet, quod hoc organum ceterorum viscerum sanguificationi inservientium actiones adjuvare videtur, omnis enim assimilatio morbis lienis perturbatur. **Hippocrates** (2) dicit: „Color sanus removetur, et fit niger aut lividus aut flavidus,“ quod **Marcus** (3) affirmat. **Persaepe** etiam videmus colorem viridem, et **Heusinger** (4) probat exemplo, puellam magno lienis tumore affectam nonnisi velata facie ambulasse, quod color nimis fuerit viridis.

Digestio est turbata; aegroti conqueruntur dyspepsiam, sensationem ardoris in praecordiis et in toto abdomine, fastidium ciborum, cardialgiam, quae minuta, post coenam augetur et excitat vomitum, in quo **Heusinger** complicationes cum morbis hepatis et lienis observavit.

Sitis sicuti in acuta, ita in chronica quoque inflammatione inexplebilis est, foetor oris, gingivae tumescentes aut pallidae, aut rubrae, scorbuticis similes. **Celsus** (5) dicit, »quibus magni lienes, his aut gingivae malae, os olet, aut saepius aliqua parte perrumpit.«

Obstructio alvi pertinax, de qua **Piso**: »dura al-

(1) *Observat. medic.* Lib. II. pag. 23.

(2) *De internis affect.* cap. 34.

(3) *Entwicklung einer spez. Therap.* II. Theil. §. 1474.

(4) *Nachtrag.* Seite 42.

(5) *Cels.* de re medic. Lib. II. Cap. IX.

vus splenitidi familiaris,* **Frank**: obstructio alvi pertinax disserit. Interdum invenimus diarrhoeam, aut criticam aut perniciosam.

De natura urinae maxime dissentiunt, quam **Tulpius** aquosam, **Marcus** subflavam, **Reichelt** rubram, **Bischoff** mucoso sedimento instructam observarunt.

Tussis sine sputis saepe adest, quacum dolores pectoris prementes et respiratio difficilis conjunguntur. Aegroti minimis jam laboribus fatigantur, somnus eos fugit, vel interruptus est somniis gravibus, anxiis, ita ut aegroti experrecti sese non amplius sentiant validos, sed fatigatos. Quam ob rem macies et prostratio virium indies crescit, et habitus ille exoritur, quem veteres medici lienalem nominabant.

Oedema saepe invenitur, nec non aliquis crurum tumor, imprimis in latere sinistro, ubi calor est minutus, quod **Celsus** contendit. In pedibus, praecipue in latere sinistro, ulcera exoriri, quae initio parva sint, at indies magis crescant, jam **Hippocrates** dicit. Praeterea cutis est aut frigida, aut naturalis illa praecipue in pedibus observatur. Inter constantia lienitidis chronicae symptomata numeranda sunt profluvia, quae raro abesse solent.

Epistaxis est parca, et tantum guttatim sanguis nigricans ex nare sinistra stillat, quae effusio aut critica aut perniciosa esse potest. Quod ad salutarem epistaxeos naturam pertinet, **Grotanelli** dicit: Utique epistaxis salutaris habenda erit, si cephalalgia cedit, sitis tolerabilis fit, corporis quies et gustandi facultas redeunt.

Saepius adest vomitus cruentus, qui, quamquam et veteribus et recentioribus medicis signum habebatur pathognomonicum, tamen in omnibus casibus non observatur, uti Heusinger exponit. Pulsus initio est normalis, progrediente autem macie, febris hectica exoritur. Initio etiam febrim intermittentem saepe invenimus.

Praeter haec corporis symptomata multae apparent mutationes animi in hominibus lienitide chronica laborantibus, sicuti in plerisque morbis abdominalibus. Homines maxime hilares, quum primum ingrediebatur inflammatio lienis, tristes, anxii, moesti, iracundi et ad fletum proni animadversi sunt, quae animi tristitia haud raro tantopere augebatur, ut ipsi vitam pertaesi manum violentam sibi inferrent, quod Marcus in plerisque lienosis accidere contendit.

DIAGNOSIS.

Quamquam affectiones lienis inflammatoriae multa offerunt symptomata, ex quibus eas cognoscere possumus, nullum tamen symptoma pathognomonicum est habendum, sed consentientibus tantum aut plurimis aut omnibus diagnosin certam constituere licet. Intumescencia ipsa, quae semper cum inflammationibus lienis est conjuncta, ex aliis quoque causis in regione hypochondriaca sinistra oriri potest, sive sit in intumescencia lobuli hepatis sinistri, seu pancreatis, seu renis sinistri, id quod jam saepe decepit medicos. Hippocrates ipse describit casum, ubi lienis tumor subito modo augebatur, modo minuebatur; quod nihil nisi flatulentia coli fuisse videtur.

Inflammationes lienis cum iis partium vicinarum

permulta habent symptomata communia, v. c. cum morbis cordis sinistri, in utroque morbo sunt anxietas, palpitationis cordis, respiratio difficilis, signa plethorae venosae, dyspnoea, lypothymiae; hic autem sedes doloris in regione hypochondriaca sinistra, habitus totus aegroti, haematemesis, tumor, visus obnubilatio de diagnosi certiores nos reddunt. Multum subsidii in hoc casu afferunt signa auscultationis et percussionis, quibus solis morbos cordis et lienis discernere valemus.

Ad firmandam diagnosin inter inflammationes lienis et renis sinistri haud mediocriter nos adjuvant: dolor in inflammatione renis profundior, qui sequitur uretris decursum; in hac quoque inflammatione vesicae urinae symptomatica affectio adest, signa quoque habenda sunt urina, dolores abdominales, coliei, retractio testiculorum ad annulum abdominalem.

Inflammationes chronicae partium lieni vicinarum cum lienitide tot habent symptomata communia, ut difficillime discerni possint, quam ob rem in hisce casibus omni opus est cura atque diligentia ad eruendam diagnosin.

Affinia quoque symptomata offert plethora abdominalis, in qua autem dolor localis, intumescencia et imprimis affectio partis sinistrae deficiunt. Ad distinguendam febrim intermittentem et lienitidem chronicam, haud raro summam debemus impendere operam, at in hac intermissiones non tam perfectae et constantes sunt, neque deficiunt dolores lateris sinistri, illa autem remediis usitatis adhibitis facillime depellitur.

Prognosis.

Lienitis acuta minus periculosa habetur, quam chronica. Quae si originem duxit ex causa mechanica, persaepe exitus est lethalis, quod tunc quoque partes majoris dignitatis laesae sunt; prognosis est melior, si haemorrhoidibus, quam si vitio systematis venae portarum causam debet: tunc enim persaepe oblitteratio venae portarum oritur et melaena.

In prognosi ratio habenda est intumescendae lienis; quo major haec, eo pejor prognosis, quamquam maximos quoque tumores ad normam restitutos esse, negari non potest. — Vomitus cruentus, si persaepe exoritur et magna sanguinis copia ejicitur, mali ominis est, etiamsi temporaria remissio symptomatum oritur; digestionem maxime laesa, macie summa, exitus pessimus est timendus. Si epistaxin parcam remissio symptomatum sequitur, prognosis est bona. Multum quoque prognosis pendet ab exitu inflammationis; in ascite, aut symptomatibus maniae accedentibus, prognosis mala.

In lienitide chronica, ut dixi, prognosis infausta est; etiamsi enim non praesens, tamen futurum periculum minatur aegroti. Affectiones partium vicinarum si accedunt, si exoritur in viris aetate provectoribus, non minus infausta est praedictio, quam si affectiones hydro-picae accedunt. Bona est prognosis, si symptomata gravissima evanescunt, habitus melior fit, ciborum appetitus redit, si menses aut haemorrhoides antea suppressae fluere incipiunt, si somnus quietus reficit aegrotum.

Curatio.

In inflammatione acuta remedia a veteribus medicis specifica nominata, quae maximam partem in diureticis et antiscorbuticis cernebantur, jam diu sunt seposita. Primum totius curationis est, ut causae morbi quam diligentissime impugnentur.

Curatio splenitidis acutae est eadem, quae hepatitidis, quare initio detractio sanguinis universalis et localis, universalis tamen caute, adhibenda est, quoniam massa sanguinis in parenchymate lienis per eam non minuitur, neque dolores quidem semper cedunt. Heusinger, venaesectione non semper opus esse dicit, et si opus sit, instituendam esse horis vespertinis. — Grotanelli commemorat, in splenitide acuta parvam detractionem sanguinis universalem esse adhibendam, et si complicatio cum morbis inflammatoriis vicinarum partium adsit, repetendam. Maximum remedium cernitur in detractionibus sanguinis localibus saepius iterandis. At si his dolor non cedit, auxilium petendum est a vesicatorio, cujus suppuratio per longum tempus protrahatur. Si splenitis orta est suppressis haemorrhoidibus aut mensibus, primum id moliri debemus remediis usitatis, ut secretiones quas diximus revocentur. Internae praecipue utimur salibus, magnesia sulphurica, natro sulphurico, tartaro tartarisato et plerisque aliis acidis vegetabilibus, acido tartarico, manna, pulpa tamarindorum cum herbis, quae excitant diuresin. Multum dissentiunt scriptores de usu calomelanos, alii, ut Marcus, Vogel, Pemberton eo utuntur, alii, ut Nasse, Most, repudiant; vis ejus salutaris non tanta est, ut multa, quae

affert, noxia omittamus. In obstructione alvi pertinaci clysmata sunt adhibenda, in vomitu potio Riveri, pulvis aërophorus, in haematemesi, etiamsi vires sunt prostratae, detractio sanguinis et localis et universalis, in qua Schoenlein acida, et ex his acidum sulphuricum cum Belladonna, alii aquam frigidam imo glaciem laudant; v. Hildenbrand commendat alumen et fomentationes frigidas. Epistaxin criticam sistere non licet, at si nimia sanguinis copia effluat, remediis aptis eam opprimere oportet. In abscessu lienis aut parva, quod Naumann et Most, aut magna, quod Grotanelli praecipit, incisione pus evacuari debemus, ne omnis lien transeat in suppurationem aut abscessus effundat contenta sua in cavitatem abdominis. At maxima adhibenda est cura, ne praecocem instituamus incisionem, primum enim caute inquirendum est, num lien cum internis integumentis coaluerit. Ad abscessum brevi tempore tollendum, Lara cataplasmata ex bryonia alba commendat.

Praeterea rationem habere debemus nutrimentorum, ne quid aegroto praebeatur, quod ventriculi functiones debilitare aut nimis eum excitare possit, quam ob rem Heusinger mucilaginoso et poma, quae multum continent acidi, proponit.

Curatio lienitidis chronicae multo majores obtrudit difficultates. Quamdiu dolor adest localis, detractiones locales sanguinis instituendae et iterandae sunt.

Semper respiciantur morbi causae, quas auferre et secundum quas curationem moderari oportet. Maximi momenti est vitae ratio; vivat aegrotus in aëre sano, utatur corporis exercitio, vitet cibos, qui digestionem debilitare aut ventriculum nimis irritare possint.

Quum in lienitide chronica semper adsit tumor et, nisi praevalent symptomata inflammationis, curatio multa habeat communia cum curatione hypertrophiae, hoc loco plura de hac loquamur.

HYPERTROPHIA, SEU PARATROPHIA LIENIS.

Aetiologia.

Causa communis hypertrophiae lienis cernitur in circulatione impedita, et nimio sanguine lienis, qui variis causis inductus ad alia organa non revehitur. Si enim nimius adest affluxus sanguinis ad lienem, ob structuram peculiarem defluxus eodem modo minuitur. Extenditur lien praeter modum, et si hoc saepius fit, relaxatio taelae exoriatur necesse est; tum extenduntur cellulae, in quas penetrat sanguis, cujus ob stagnationem sese contrahere nequeunt.

Persaepe hypertrophia confunditur cum lienitide chronica, quae haud raro procreat paratrophiam, verum quoque non praegressa affectione inflammatoria destructio lienis sola stagnatione sanguinis effici potest. Hic morbus per multos annos trahi potest, valetudinem haud multum perturbans, sine ulla mutatione, plerumque autem verno et auctumnali tempore augetur, hieme et aestate minuitur. Hypertrophiam, vel maximam, nullis adhibitis medicamentis ad volumen naturale reduci posse, **Pemberton** (1) narrat.

Inter omnes causas febres intermittentes et remit-

(1) **Pemberton**, Krankheiten der Unterleibsorgane übersetzt v **Bressler**. Seite 48.

tentes primum tenent locum, quomodo autem hypertrophiam lienis efficere possint, non constat inter scriptores. Thomson in eo causam esse putat, quod hoc organon, receptaculum sanguinis, inter horrorem febris nimium sanguinem accipiat et quod impetus iste sanguinis iteretur, priusquam lien expulerit sanguinem prius receptum.

Morgagni (1) hocce modo rem exponit: »Laxum enim per se viscus et cellulosum et ex quo lentus est sanguinis reditus, quippe hepar, antea quam vena cava subeat, trajecturi, maxime opportunum est tumoribus, praesertim si diuturno morbo exiguis ejus viribus infirmatis, sanguine autem inertii facto, quaedam in hoc relicta sint, quae aut corrigi aut extra corpus ejici debuissent.«

Sunt, qui contendunt, hypertrophiae lienis semper praecessisse febrem intermittentem, etiamsi ante longissimum tempus. Hoc certe constat, in hominibus febricitantibus tertiana mortuis semper inveniri aut paratrophiam aut destructionem lienis, in quibus febribus horrorem causam esse Grotanelli (2) contendit, dicens: »Frigus febrile febris intermittens alia est morborum splenis causa occasionalis.« — At persaepe est plethora lienis causa febris intermittens, quam ob rem Heusinger (3) intumescantiam lienis saepe remediis febrifugis pelli narrat. Abercrombie in febre intermittente pertinaci animadvertibat magnum tumorem in hypochondrio sinistro, qui febre remota tollebatur.

(1) Morgagni, epist. XXXVI. No. 18.

(2) Grotanelli, observat. p. 154.

(3) Heusinger, Nachtrag. S. 17.

At non solum tertiana, sed etiam quartana febris intermittens procreat tumorem lienis, ex quotidiana *Grotanelli* tum hypertrophiam lienis oriri contendit, cum aegroti sitim, quae in hac specie sit vehementissima, sedare soleant.

Omnes etiam febres inflammatoriae diuturnae tumorem lienis excitare possunt; *Morgagni* (1) in juvene, qui post diarrhoeam vehementem laborabat febris intermittenti tertiana, quae exhibat in febrim nervosam, lienem valde extensum vidit.

Plethoram abdominalem lienis quoque hypertrophiam procreare posse, patet, lien enim nimio sanguinis affluxui non tantopere resistit, quam alia organa, quoniam per aliquod tempus magnam sanguinis copiam sine ullo functionis damno recipere potest, at si hic sanguis per longius tempus lienem explet, extensio ejus fit habitualis et persaepe in integrum restitui nequit. Eandem habent vim illae res, quae plethoram abdominalem provocant, nutrimenta, quae turbant digestionem, vitae ratio sedentaria, quare etiam suppressis mensibus et haemorrhoidibus hypertrophiam lienis ortam invenimus, quae fluxu sanguinis restituto minuitur.

Inflammationem lienis et acutam et chronicam in tumorem exire posse, experientia docet, ita vero ut hoc maxime ad chronicam pertineat.

In quibusdam regionibus praevalere morbos lienis, imprimis intumescencias supra dictum est.

Symptomata.

Si brevi tempore magnus exoritur tumor, aegroti

(1) *Morgagni* ep. XXXI. No. 2.

initio vexantur vario modo, quoniam lien vicinas partes comprimit, quae post aliquod tempus jam assuetae compressioni functionem haud multum turbatam ostendunt.

Regionem hypochondriacam totam invenimus extensam, in parte sinistra aliquantum convexam. Rarius sentimus tumorem mollem, superficie inaequalem, qui manu potest reprimi, neque efficit dolorem. Costae in parte corporis sinistra magis sunt curvatae, ita ut totum latus plenum videatur.

Lien per varias directiones intumescere potest, quarum duas praecipue distinguere licet.

Premit enim splen costas in partem anteriorem, et ejus margo superior in regione costae nonae aut decimae apparet, tempore seriori autem non solum ad partem inferiorem extenditur, sed etiam usque ad ventriculum et regionem umbilicalem.

Lien jam initio potest extendi ad partem inferiorem; tum animadvertitur in regione ultimae costae, et crescit ad partem anteriorem, ita ut interdum usque ad regionem inguinali procedat, quod jam antiquissimis scriptoribus haud ignotum erat.

Andral adnotat, lienem extendi nonnunquam ad partem superiorem, diaphragma reprimi, regionem costae ultimae omnino liberam videri.

Dolor hebes, obtusus, raro adest, sed potius sensatio oppressionis, corporis ponderosi in hypochondrio sinistro, quod molestias affert ventriculo. Haec sensatio modo augetur, modo minuitur, quod ab tumore crescente aut decrescente pendere videtur.

Aegroti nonnisi in latus sinistrum decumbere pos-

sunt, et si forte per noctem hunc situm mutant, subito anxietate expergiscuntur.

Symptoma pathognomonicum est vomitus, qui omnino differt a vomitu in aliis morbis. Aegroti per unum vel complures dies vomitu semper cruciantur, qui tum per menses aliquot deficit; emittunt praeter cibos magnam bilis copiam, quamquam nunquam icterus observatus est, de quo P. Frank (1) historiam tradidit. »Foemina jam per multos annos tumore in hypochondrio sinistro vexata erat, qui tempore, quo menses fluebant, semper augebatur, et tum per quatuor vel quinque dies aegrota saepenumero vomitu laborabat, qui denique nunquam cessans mortem inferebat.«

Adsunt praeterea aliae affectiones gastricae fastidium ciborum, propensio ad obstructionem alvi.

Tussis brevis, sicca sine ullis sputis. In permagno tumore invenimus orthopnoeam saepe complicatam cum vomitu, de qua Portal(2) egregium proponit exemplum: Vir juvenis jam per aliquot annos laborabat molestiis in dies magis crescentibus. Duas horas post coenam dolores hebetes in regione hypochondriaca oriebantur, tum angor magnus et tanta debilitas, ut aegrotus stare non valeret; tandem accedebant constrictio faucium et sensatio suffocationis, facies rubra, turgescens, oculi prominentes, lingua densa, rubra. Aegrotus surgere tentans ob debilitatem considerare cogebatur, respiratio difficilis erat, qui status post horam dimidiam vehementibus aliquot inspirationibus finiebatur.

Facies est pallida, livida, nigricans, interdum pastosa,

(1) Epist. Lib. V. P. II. p. 377.

(2) Sur la nature de quelq. malad. Tom. II. pag. 24.

quam Hippocrates (1) flavam, aut ex albo cineream, Aretaeus (2) cineream, aut ex nigro flavam, Galenus (3) aut colori hepatico similem, qui autem semper sit magis fuscus, quam in inflammationibus hepatis, aut chloroticam, uti Grotanelli quoque nominat.

Epistaxin raro desideramus, etsi non multum sanguinis effluit; quam et tumorem lienis orientem reprimere et ortum sanare posse, jam veteribus scriptoribus notum erat, de qua re v. Swieten (4) dicit: »Plures novi, quibus verno tempore familiare erat, sanguinem de naribus fundere, qui sibi ipsis instantem haemorrhagiam praesagire noverant ex dolore circa lienis regionem, quandoque etiam ex ejusdam palpitationis in eodem loco sensu.«

Vomitum cruentum sine angore saepe invenimus, quem pulsatio in regione lienali indicat, quo parca tantum sanguinis copia ejicitur. Talis vomitus indicat exitum lethalem, si vehemens est, tumor lienis augetur et febris procreatur. Interdum faecibus nigricantibus omnis status in melius vertitur, admodum in breve tempus.

Urina est parca, color non mutatus, at interdum offert colorem cerevisiae fuscae, sine sedimento. Remissionem symptomata tum indicat urina turbida, densa cum sedimento multo roseo, de quo Weber (5): »Lien turbatus aliquando per urinas expurgatur nigricantes, quandoque atramento simillimas summa cum euphoria;

(1) De internis affectionibus. Cap. 34 et 36.

(2) De causis et signis morb. diuturn. Lib. I. Cap. 15.

(3) De locis affectis. Lib. VI. Cap. 1.

(4) Comment. Vol. II. §. 741.

(5) De causis et signis morborum. Tom. II. Pag. 13.

aliquando permultas crassas, faeculentas, quasi sanguineas cum sedimento multo.«

Si morbus jam inveteravit, exoritur cachexia, quam dicimus, splenica, in qua praeter cetera symptomata major oritur debilitas, proclivitas ad ulcera pedum pertinacia, quae levissima causa procreari possunt, febris irregularis, horripilationes vespertinae, macies, demum hydrops.

Haud raro hypertrophia lienis procreat symptomata nervosa, spasmos, quod Tulpus commemorat: »Lien, inquit, a turgido hoc atrabilaris fermento jam tumidus diffudit illico ex se vapores cerebro tam inimicos, ut juvenis proclivus concideret in vehementissimos morbi comitialis insultus, excitatos non tantum a causa interna, sed subinde quoque a causa externa, nam pressa vel digito solo regione lienis, contrahebantur illico omnes nervi, et sequebatur confestim miserabilis universi corporis distentio.«

Diagnosis.

Permagnis difficultatibus diagnosis hypertrophiae lienis stipatur, imprimis si tumor non est tantus, ut sentiiri possit; existunt enim his in casibus multae complicationes cum morbis vicinarum partium aut primariae aut secundariae.

Tumor in hypertrophia lienis forte confundi potest cum hydrope saccato; at si naturam tumorum respicimus, non ambigemus; in hydrope saccato enim tumor est mollis et fluctuationem facillime manu imposita sentimus, in hypertrophia lienis est tumor durus, sine ulla fluctuatione, tum quoque margines sunt aliquanto pro-

minentes, inaequales, duri, in hydrope saccato aequales, molles.

Cum hypertrophia cordis similia adsunt symptomata, at dyspnoea, anxietas majores sunt, circulatio sanguinis magis debilitata, denique signa acustica tam singularia sunt in hypertrophia cordis, ut permutationem cum aliis morbis non admittant.

Hypertrophia lienis saepe conjuncta est cum intumescencia lobuli hepatis sinistri; in hepatis morbis autem praevalent symptomata icteri, color peculiaris etc., quae in morbis lienis nunquam inveniuntur. In inflammatione lienis semper adest dolor, in hypertrophia sensatio gravitatis, et si in hac invenimus dolorem, semper inflammatio quaedam exstat, quare hi morbi non facile confundi possunt.

Praeterea nunquam negligendae sunt causae et anamnesis, quae solae saepe de natura morbi nos certiores reddunt.

Prognosis.

Prognosis secundum causas aut melior aut peior est. Hypertrophia lienis, quae exorta est feбри intermitte, facile auferri potest, si per breve tempus existit; quam ob rem etiam haec intumescencia maxime fit recidiva, nam si hypertrophia minuatur, febrem intermittentem revocari, multa probant exempla. — Prognosis est bona, si tumor mollis, digito cedens modo crescit, modo decrescit. — Quo minus color est lienosus, cachecticus, eo melior exitus sperandus. — Hydrops aut phthisis abdominalis accedens mortem haud procul abesse testantur. — Prodromum morbi in hypertrophia

lienens diarrhoeam pertinacem nominat Twining, cui saepius hydrops et haematemesis, rarius melaena, praecedat. Diarrhoea cruenta, quam Hippocrates faustum habet symptoma, summam quoque indicare potest destructionem. Interdum etiam vomitum cruentum sanari posse in hypertrophia, Latur (1) hoc casu ostendit: Virum, qui per duos annos laboraverat feбри intermittente pertinaci, subito aggrediebatur magna lienens intumescencia. Medicamentis per longum tempus adhibitis, tumor reddebatur mollis, at non volumen ejus minus. Subito maxima cruoris copia vomitu ejiciebatur; quo facto post mensem lien recuperabat magnitudinem normalem. Heusinger (2) commemorat, vomitum cruentum, aut faeces cruore mixtas pessimi ominis esse, si pressione lienens iudurati, in vicinas partes exhibita, inducantur.

Praeterea vires aegroti et mentis affectiones respiciendae sunt, quibus praevalentibus plerumque prognosis mala vocari potest.

Curatio.

Difficillima est, haud raro enim nullum remedium exitum inducit faustum, quare nullus forte morbus existit, in quo tot remedia sint laudata.

Multum valet ad restituendam sanitatem vivendi ratio; si aegrotus vivit in regione paludosa, humida, primum id moliri debemus, ut eum transferamus ad regiones alias, quae minus favent origini februm intermittentium et morborum lienens.

(1) Heusinger über Entzündung und Vergrößerung der Milz. Seite 77.

(2) Nachtrag Seite 53.

Si plethora abdominalis continet causam, remediis contra hanc laudatis uti debet aegrotus.

Praeterea multa existunt remedia, quae dicimus, specifica, in quibus resolventia et purgantia maxime laudantur; **Goeden** (1) inter haec commemorat rheum, chelidonium, taraxacum, sennam, quibus per longum tempus adhibitis maximam hypertrophiam in integrum restitutam videbat.

Terram foliatam tartari jam **Sauvages** et **Pitschaft** commendant, **Portal** vero maximam ei conciliavit laudem, quae etiam, hypertrophia jam sanata, verno et auctumnali tempore adhuc per multos annos ad cavendam reversionem praebebatur aegroto.

Ferrum et chinam summum afferre auxilium, multi scriptores commemorant. Jam veteres medici aegrotum aquam bibere jubebant, in qua ferrum candens restinctum esset. **Celsus** (2) dicit: »Aqua, in qua ferrum candens subinde tinctum est, praecipue lienem coerces, quod animadversum est in his animalibus, quae apud fabros ferrarios educata exiguos lienes habent.«

Vim, quam ferrum exserit in lienis morbos, **Grotanelli** variis in casibus expertus est. — **Schoenlein** (3) ferrum jodanicum in morbis lienis aequae necessarium esse ac calomelas in morbis hepatis, contendit. At quod ad haec remedia, semper maxime cavendum est, ne forte exoriat alvi obstructio pertinax. Hanc ob causam aquae minerales, quae continent ferrum solutum, maximopere laudatae sunt. Si lienis degeneratio

(1) Hufeland's Journal 1825. St. 9.

(2) Lib. IV. Cap. 9.

(3) Spec. Path. und Therapie. Band I. Seite 420.

non nimis magna est, adhibenda est aqua Spaana, Schwalbacensis, Pyrmontaria, in induratione autem graviori Driburgensis, Wisbadensis, Egerana.

Piorry adhibito chinino sulphurico jam post viginti quatuor horas tumorem lienis decrescere dicit.

Bally etiam chininum sulphuricum habet specificum et per diem viginti ad sexaginta praebet grana, quam dosin autem minui oporteat, si tumor minuatur.

Praeterea alia multa remedia sunt laudata, calomelas Aethiops mineralis, extracta resolventia, imprimis cicutae, quae experientia autem non omnino probantur.

In tota curatione etiam consideranda sunt symptomata peculiaria, quae remediis aptis curentur necesse est.

Si tumor adest durus, balnea calida valde prosunt, praeterea infrictiones unguenti hydrargyri cinerei cum extracto cicutae, cataplasmata, praecipue ex bryonia alba, praeterea emplastra resolventia.

Ad depellendam alvi obstructionem alii laudant salina, alii drastica. Pearson (1) commendat sal sodae phosphoratum, Grotanelli kali tartaricum ad tollendam obstructionem, diuretica ad minuendum tumorem, pro potu cremorem tartari cum aqua laurocerasi praecipit.

Bree praefert remediis salinis purgantia drastica, imprimis aloen, extractum colocynthidis, scammonium, jalapam. Experientia docet, remedia salina multo majus levamen inducere, quam drastica, haec enim si omituntur, statim alvus tarda evadit. Praeterea detrimentum, quod afferri salinis remediis Bree contendit, ab aliis scriptoribus non observatum est. Aptae sunt igitur

(1) Samml. auserl. Abhandl. Bd. 13. S. 143.

salina leviora, quae si non sufficiunt, transeundum est ad drastica. At salinis vehementioribus uti non licet, quippe quae ventriculi functiones turbent et nimis debilitent corpus.

Haematemesis non remediis fortioribus subito sistenda est, sed leniora adhibeamus remedia, e quibus optime fertur aqua laurocerasi.

Si autem nimium sanguinis ejicitur, ita ut periculum immineat aegroti, tum sistenda est haematemesis; Heusinger praebet ferri praeparata et fomentationes frigidas ad regionem ventriculi applicat.

Etiam epistaxin et diarrhoeam criticam suppressi non debere patet.

Multis jam ab antiquissimo inde aevo medicamentis externis utebantur medici, ut moxis, acupunctura, quae nunc fere dimissa sunt, et in pertinacissimis tantum tumoribus adhibentur.

V I T A.

Ego Franciscus Nicolay Warendorpii, Guestphaliae oppido, anno hujus saeculi decimo quinto, die sexto decimo m. Octobris natus et catholicae fidei addictus sum. Patrem optimum, Franciscum Ant. Nicolay, pharmacopolam, adhuc viventem pio veneror animo, matrem vero Mariam, de gente Brockmann, hoc anno morte mihi ereptam lugeo. Primis literarum elementis in progymnasio patriae urbis imbutus adii gymnasium Monasteriense, quod Cel. Nadermann directore floret vigetque, in quo per duos annos literis operam navavi. Testimonium maturitatis adeptus anno hujus saeculi trigesimo tertio universitatem Fridericam Guilelmam Rhe-

nanam petii, ibique ab Ill. Brandis, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus et ab Ill. Mayer, t. t. decano maxime spectabili, in album ordinis medicorum receptus, per duos annos hisce praelectionibus adfui: Ill. de Münchow de physice, Ill. a Kalker de psychologia et logice, Ill. Bischoff de chemia experimentalis, Ill. Goldfuss de zoologia, Ill. Noeggerath de mineralogia, Ill. Treviranus de botanice, Ill. Mayer et Weber de anatomia generali, speciali et comparata, quos quoque duces habui in arte cadavera rite secandi; Cel. Windischmann de physiologia, Cel. Aibers de pathologia universali et materia medica, Ill. Wutzer de chirurgia, Ill. Naumann de pathologia speciali.

Bonna relicta, tempore autumnali a. MDCCCXXXV. Berolinum profectus sum, et ab Ill. Busch, t. t. rectore magnifico, civibus academicis et ab Ill. Mueller t. t. decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus in scholis clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, nec non obstetriciis, Ill. Rust, Cel. Barez, Cel. Wolff, Ill. Kluge, Cel. Truestedt, Ill. Juengken, Ill. Bartels ducibus gavisus sum, quibus omnibus viris, maxime de me meritis, gratias ago quam maximas.

Tentaminibus tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso, rite superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. Torsio ligaturae arteriarum praeferenda.
 2. Graviditatis incipientis nullum est signum certum.
 3. Medici est, mortem, quam impedire non potuerit, mitiorem quidem reddere, minime vero accelerare.
 4. In morbis chronicis diaeta omnibus medicaminibus est efficacior.
-